

**PLINE le Jeune *Lettres*, VI, 20 (extrait) : « Un spectacle effroyable »**

C. Plinius Tacito suo s.

Nec multo post illa nubes descendere in terras, operire maria : cinxerat Capreas et absconderat. Miseni quod procurrit abstulerat. Tum mater orare, hortari, jubere, quoquo modo fugerem : posse enim juvenem, se et annis et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset. Ego contra (dixi), salvum me nisi una non futurum. Dein manum ejus amplexus adderre gradum cogo. Paret aegre incusatque se, quod me moretur. Jam cinis, adhuc tamen rarus. Respicio : densa caligo tergis imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur.

« Deflectamus » inquam « dum videmus, ne in via strati comitantium turba in tenebris obteramur. » Vix consederamus, et nox, non qualis illunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine extincto. Audires ululatus feminarum, infantium quiritatus, clamores virorum : alii parentes, alii liberos, alii conjuges vocibus requirebant, vocibus noscitabant ; hi suum casum, illi suorum miserabantur : erant qui metu mortis mortem precarentur...